

cilioris abstractionis, quia a paucioribus abstrahit: an quod est confusioris, et plura sub se continet: an denique quod est fortioris impressionis ex parte sensuum, quatenus ab illis intellectus pendet in cognoscendo.

Circa primum, inveniunt aliqui contradictionem in hac doctrina Philosophi, cum his quæ tradit 1. Post. cap. II, ubi inquit: «Quod nobis notiora sunt, quæ sunt propinquiora sensui, simpliciter vero notiora, quæ a sensu remotiora sunt, ea vero esse remotiora, quæ universaliora sunt.» Hic autem e contra dicit quod ab universalioribus prius procedendum est, quia sunt confusiora et notiora nobis. Secundo, contradicit sibi ipsi in hoc loco. Nam in 1. text. dicit quod cum scire contingat per prima principia causa et elementa, de his oportet determinare. At vero in text. III et IV, dicit quod confusiora sunt prius nota nobis; deinde principia et elementa, ideoque ab universalibus ad singularia oportet procedere.

Ad primum respondet D. Thomas tam in 1. Post. lect. IV, quam in 1. Physicorum, lect. I, quod in 1. Post. loquitur Philosophus de cognitione nostra non solum in intellectu, sed in sensu, respectu cuius constat singularia esse prius, imo solum cognita, in præsentia autem loquitur solum de cognitione intellectus, qui cum a singularibus abstrahat, procedit ab universalibus ad singularia, id est ad minus communia. Et sumitur hoc ex verbis Philosophi 1. Phys. text. XLIX, dicens, quod: «Universale notius est ratione, singulare vero sensu.» Quando vero dicit universaliora esse notiora secundum naturam, quia sunt remotiora a sensu, loquitur de his quæ sunt universaliora in virtute, et causalitate, sive in abstractione formali, sic enim quæ formaliter abstrahunt, id est magis

excludunt materiam, et quæ sunt magis universalia in virtute et causatione sunt notiora secundum se, quia magis perfecta, sicut Deus et Angeli.

Ad secundum dicitur quod loquendo de cognitione scientifica certum est quod oportet procedere a principiis ad conclusiones: est enim cognitio scientifica illuminativa conclusionum, et distincta. Unde oportet quod a principiis seu elementis procedat, resolvendo scilicet in ipsa principia: et de ista cognitione loquitur Philosophus in 1. textu, quando dicit quod oportet de principiis et causis prius determinare. Cæterum loquendo de cognitione confusa quam distincta in nobis procedimus de imperfecto ad perfectum, et de hac loquitur in secundo loco, ut ex hoc constet, quod inter materias, quæ in aliqua scientia tractantur, et inter principia a quibus proceditur, ea prius tractanda sunt et attingenda, quæ sunt communiora, et confusiora, nobisque magis nota.

Nec oportet hic distinguere ordinem naturæ, et ordinem doctrinæ in procedendo, utriusque enim processus via acquisitionis est ab imperfectioribus ad magis perfecta: doctrina enim imitatur naturam et accommodat se modo procedendi ipsius naturæ in qua est. Solum cavendum est ne ordo doctrinæ, et naturæ confundatur cum his quæ dicuntur notiora naturæ, et notiora nobis, cum tamen longe differant, quia ordo naturæ et doctrinæ dicit processum et modum acquirendi, qui tam in doctrina, quam in natura est ab imperfectioribus ad perfectiora, esse autem notiora naturæ, et notiora nobis, solum importat cognoscibilitatem rei, vel secundum se, vel ut proportionatam et applicatam nobis. Unde bene stat quod alia sint notiora naturæ, alia notiora nobis, non tamen sit alius ordo seu modus

procedendi doctrinæ, et naturæ in via generationis, et acquisitionis.

Circa secundum celebris est difficultas in scholis circa primum cognitum nostri intellectus, unde desumendum sit. Et principales sententiæ in hac parte dividuntur in tria capita; nam quidam desumunt primum cognitum nostri intellectus non penes potentialitatem, et imperfectionem ipsius intellectus procedentis, sed penes fortius motivum ex parte objecti moventis per sensus ipsum intellectum, et hoc est singulare. Ita Durandus in II, dist. III; Conimbr. hic super cap. I, q. IV, art. II; Pereira lib. III Physicorum, cap. XVI; Martinez hic super cap. I, disp. unica, qu. III, alii conveniunt in hoc quod intellectus noster non incipit a singularibus, sicut sensus, sed abstrahit ab illis. Cæterum quidam desumunt primum cognitum ab eo quod facilius abstrahit intellectus. Facilius autem abstrahit, ut dicunt, naturam in specie atoma, cuius singulare efficacius movet sensum nisi intellectus impedimentum aliquod habeat. Ita Scot. in I, disp. III, q. II, quem sequitur ejus schola, et alii etiam extra eam, ut notant Conimbricenses loco citato, q. III, art. II, et sic naturam specificam putat Scotus esse totum actuale confusius cognitum. Denique, alii sumunt primum cognitum in natura abstracta a singularibus ex confusiori prædicato reperto in ipsa natura, hoc autem est ipsum ens sub conceptu magis confuso, et hoc sequitur D. Thomas et ejus schola, ut statim videbimus. Ne autem necessarium sit hoc amplius repetere, advertimus nos non loqui de primo cognito quantum ad sensum, hoc enim est singulare quod prius occurrit, sed loquimur de primo cognito intellectus, ut abstrahentis a singularibus.

DICO ERGO PRIMO: Impossibile

est, quod primum cognitum nostri intellectus in hac vita sit aliquod singulare per modum singularis. — Dicitur per modum singularis, quando ipsa singularitas non cognoscitur ut quædam quidditas, sed ut quidditatem, seu naturam aliquam efficiens et singularizans, qua ratione singulare attingitur a sensu. Hæc conclusio necessario tenenda est in sententia D. Thomæ tenentis quod singulare sensibile solum potest cognosci a nostro intellectu reflexe, eo quod species quibus intellectus informatur, sunt abstractæ ab intellectu agente, non solum quia entitative redduntur spirituales, sed quia earum objectum abstractus est quam objectum sensus, ac proinde a conditionibus singularitatis abstrahit. Sed tamen hoc fundamentum in præsentia examinandum non est, sed tertio de Anima, ubi latius tractabitur, nec enim solum probat quod singulare non possit esse primum cognitum nostri intellectus, sed quod nullo modo possit esse directe cognitum.

Sumimus ergo fundamentum in præsentia ex ipso formali objecto nostri intellectus, quod non potest esse singulare sub modo et exercitio singularitatis, sed objectum ejus est quidditas seu quod quid, ut ex Philosopho optime docet D. Thomas III de Anima, lect. VIII et VI. Et hic lect. I, et Opuscul. XXIX, et I part. q. xcvi, art. I, et alibi sæpe. Philosophus enim de Anima textus dicit quod: «Sensitivo judicat calidum et frigidum, seu carnem, alio autem (id est alia potentia, ut explicat ibi D. Thomas lect. VII,) discernit esse carnis, » id est quidditatem. Et I Phys., textus XLIX, dicit, quod: «Universale notius est ratione, singulare vero sensu.» Itaque in hoc segregatur cognitio intellectus a cognitione sensus quod sensus solum attingit res sub sensibili apparentia

accidentium, formale enim obiectum ejusdemque sensus est aliquid accidens in concreto, v. g., coloratum, sonorum, calidum, etc. Intellectus autem penetrat ad intimam rei, quæ est quidditas, nec limitatur ad sola accidentia quæ per se movent sensibiliter; et in hoc elevatur supra sensum: proprie ergo id quod est per se primo intelligibile, est quidditas, et ita ipsam singularitatem, et ipsa accidentia respicit intellectus per modum quidditatis ejusdem, sic enim intelligibiliter respicit, et supra modum sensibilem, intelligere enim est quasi intus legere, et ad interiora rei penetrare, non exteriora tantum attingere, quod facit sensus, ut sæpius admonet D. Thomas propriam intellectus rationem explicans, ut videri potest II-II, q. VIII, art. I, ubi hoc optime explicat. Cum ergo intellectus unumquodque debeat attingere sub formalitate sui obiecti, id est sub ratione quidditatis, in quo per se primo segregatur a sensu, oportet quod etiam id quod primo cognoscit sub ratione alicujus quidditatis attingat: ergo si primo cognoscit singulare, primo attinget quidditatem singularitatis non autem singulare, sub modo singularitatis, sicut cognoscit sensus, sed quidditas singularitatis non potest esse primo cognoscibilis; manifestior enim est quidditas naturæ, quam singularitatis, cum quidditas singularitatis sit modus naturæ, ipsam terminans, et modificans, quidditas autem modorum vix est perceptibilis quia valde minuta est et dependens ab eo cujus est modus: ergo de se prius est cognoscibilis quidditas naturæ, quam quidditas singularitatis, quæ est modus naturæ.

Dices: Potest attingi ab intellectu quidditas singularitatis quoad an est, et non quoad quid est, et sic facilius

cognoscetur ipsum an est singularetatis, quam naturæ. Sed esto ita sit quod intellectus incipiat cognoscere quidditatem sui obiecti non quidditative, sed quoad an est, ita quod neque de ipsa natura, neque de ipsa singularitate attingat aliud prædicatum, quam ipsum an est: tamen hoc ipso non cognoscitur singulare ut singulare est, sed sub confusione, et ratione quadam communissima ipsius esse, ita quod de ipsa singularitate non cognoscit nisi quod sit ens, hoc autem est cognoscere aliquid commune ipsi singulari, et ipsi naturæ: de utroque enim datur cognitio quoad an est, et sic ipsum esse seu an est, ut concretum, seu applicatum alicui singulari sensibili erit primum cognitum intellectus. Quare (quod valde advertendum est) quando intellectus cognoscit aliquid quoad an est, non præscindit a quod quid seu a quidditate, hoc enim est impossibile cum sit formale ejus obiectum, et primo, et per se intelligibile: sed solum non cognoscit quidditative, id est penetrando constitutionem propriam quidditatis et causas essendi, sed in ipsa quidditate solum attingit prædicatum quoddam valde commune et confusum, quod est ipsum esse et hoc est, quod tunc cognoscit ut quod quid.

Et licet sensus immediate moveat intellectum, tamen quia non movet ad cognoscendum singulare eo modo quo sensus, nec sub eadem ratione formali obiecti, sed per modum intelligibilem, id est per modum quidditatis, ideo intellectus non respicit ut primo cognitum ipsum singulare sub modo et exercitio singularitatis, cum tamen in sensu singularitatis sit conditio obiecti sensibiliter moventis, ita quod obiectum non per quidditatem, nec per abstractionem, sed ut hic et nunc movet ad sui cognitionem.

DICO SECUNDO: Prima ratio cognoscibilis a nostro intellectu naturaliter et imperfecto modo procedente, est quidditas materialis sub aliquo prædicato maxime confuso, quod prædicatum est ens non gradus aliquis specificus vel genericus, et hoc est cognoscere totum cognitione actuali confusa —, id est cognoscendo aliquid confusum quod ipsi actu convenit non potentialiter et in ordine ad interiora, ut statim explicabimus. Hæc conclusio est D. Thomæ I p. q. XCV, art. III, et q. XXVIII, art. III, et in prologo de ente et essentia ubi late tractatur a Cajetano, et videri potest Magister Soto I Phys., q. II, art. II, et communiter apud alios Thomistas.

Ut autem ejus fundamentum tradatur, advertendum est ex Cajetano in illa prima questione de ente et essentia circa primam conclusionem, quod quando dicimus ens esse primum cognitum, ly *ens* non sumitur pro abstracto in statu universalitatis et separationis ab omni inferiori, sed sumitur ens, ut concretum et imbibitum in aliqua re determinata, quæ tunc occurrit cognitioni, quasi prædicatum quoddam ipsius, ita quod in ipso obiecto sic occurrente, non discernuntur determinatæ rationes, sed solum accipitur, seu concipitur secundum quamdam indeterminationem, in qua quidquid ad tale obiectum pertinet confunditur, et fere est idem quod cognoscere rem quoad an est, atque ita idem est dicere, quod in aliquo obiecto, ut totum actuale est incipimus a cognitione entis, id est a cognitione prædicati ita confusi, quod non discernantur prædicata in eo inventa, et determinatæ rationes, sed præcise cognoscatur, id quo nulla est discretio, nec segregatio, scilicet ipsum esse; hoc enim est maxime confusum, quia maxime indistinctum.

Unde nec D. Thomas nec Cajetanus negant rem ipsam quæ primo occurrit intellectui, tanquam id quod cognoscitur, ut obiectum quod esse aliquam quidditatem sensibilem, et speciem specialissimam, sed dicunt quod in hoc concreto, et in hoc toto et in hac specie, quæ occurrit primum, quod offeritur intellectui tanquam ratio quæ, est illa confusio entis, et quasi cognitio quoad an est, non quia attingatur actu suprema illa universalitas entis, secundum statum universalitatis, sed quia de ipso obiecto, seu natura primum quod attingitur, est ratio, maxime indiscreta, et confusa, et quia tanto aliquid est confusius, quanto pauciores rationes discernuntur, ita quod earum propriæ differentię, seu prædicata non distinguantur, illud erit maxime confusum, in quo nec ipsi supremi gradus, et communiora prædicata, v. g., substantia, et accidens discernuntur, et hoc vocamus ens concretum, seu applicatum quidditati sensibile, id est in natura aliqua sensibili inventum, non ut subest statui abstractionis, et universalitatis secundum habitudinem, et respectum ad inferiora, ad quæ potentialiter se habet, sed ut actualiter intrat ipsam compositionem rei, et ut cognoscitur secundum se, dicitur tamen incipere intellectus ab universaliori, quia incipit ab eo prædicato, quod majori universalitati subesterni aptum est.

Fundamentum ergo conclusionis positæ fere reducit ad hunc syllogismum: Intellectus noster connaturali modo procedens procedit de potentia ad actum, et de imperfecto ad perfectum: ergo proportionatum ejus obiectum in tali processu, debet etiam esse aliquid imperfectius, et confusius: semper enim id quod distinctius est, est perfectius confuso, sed conceptus entis quatenus

in unoquoque objecto applicate invenitur, est ratio confusor, et omnia quæ in objecto actu inveniuntur magis confundens, et indeterminans: ergo illa est prima ratio cognoscibilis, seu primum cognitum formale respectu nostri intellectus.

Major manifesta est, cum intellectus noster sit pura potentia, et maxime imperfecta in genere intelligibili: ergo connaturali modo procedens, magis proportionatur imperfectiori objecto, et cognitioni, quam perfectiori. Et dico *naturali ordine procedens*, quia si intellectus extrahatur ad isto connaturali ordine, et accipiat lumen aliquod superioris rationis, et perfectionis, juxta illud poterit procedere ad perfectiorem cognitionem, antequam ad imperfectam.

Totum hoc etiam concedit Scotus in II, dist. II, q. II, eo quod cognitio confusa est medium inter ignorantiam, et cognitionem distinctam seu perfectam; natura autem procedens de imperfecto ad perfectum, prius progreditur ad medium, quam ad extremum perveniat, et idem ex Augustino admittunt Conimbricenses supra citati, q. II, art. I. Cæterum cum Scotus ponat confusam cognitionem actualem circa speciem infimam, ejus tamen probationes non procedunt ex majori confusione, et imperfectione cognoscendi, sed ex efficaciori motione rei singularis, et ex perfectissimo effectu, quem causæ naturales non impediunt producunt, ex eo quod species inferior est facillior abstractionis, etc. At vero totum hoc ulterius regulandum est juxta capacitatem potentiæ cognoscentis, quæ cum procedat de potentia ad actum, ut præfati Auctores non negant, quantumcumque singulare aliquod vehementius moveat, tamen ipsa potentia non poterit magis moveri, nec prodire in

effectum perfectiorem nisi quantum fuerit capax pro illo statu qui cum sit status maxime potentialis, quia tunc primo procedit intellectus de potentia ad actum, consequenter prius attinget imperfectus et potentialius objectum, quam perfectum et distinctum, sicut materia prima, quæ in genere naturali est pura potentia ad formas, quantumcumque immutetur ab efficaciore agente; impossibile tamen est, quod ejus actio non incipiat a gradu corporeitatis, qui imperfectior est et potentialior, quam a gradu vitæ vel sensus. Perspicacius D. Thomas. resolvit hanc difficultatem attendendo ad capacitatem, et statum imperfectum potentiæ cognoscentis, ut exinde pendat quænam sit prima ratio cognoscibilis, seu primum cognitum formale in quoecumque objecto primo occurrente.

Restat ergo probare, quod conceptus entis modo superius explicato sit imperfectior, et confusior, et consequenter magis proportionatus intellectui sic procedenti de potentia ad actum, et hoc constat, quia in aliquo toto actuali, illa est ratio confusor, per quam minus discernuntur, et distinguuntur ea, quæ ipsi tota conveniunt, sicut, v. g., occurrente Petro, tunc maxime cognoscitur distincte, quando discernitur in eo non solum ratio generica, vel specifica, sed etiam individualis, in qua a cæteris individuis distinguuntur, et magis in se designatur: quando autem non apparet in quo discernatur ab alio individuo tunc dicitur confuse cognosci in ratione hominis; quæ est ratio confundens illa individua; quod si ulterius non appareat, in quo distinguatur ab alio animali, adhuc confusius cognoscetur, quod si denique nec discerni possit in quo distinguatur substantia et accidens erit confusissima omnium cognitio, quia

nihil habet discretionis, et distinctionis respectu omnium, quæ sibi conveniunt, illa autem ratio sic indeterminata, et confusa non potest esse nisi ens, quia solum in illo confunditur substantia cum accidenti; ergo ejus conceptus est maxime imperfectus, et consequenter maxime proportionatus potentiæ imperfectæ.

Sed dices ex Scoto, quod ens non est cognoscibile cognitione confusa actuali, quia ejus conceptus est simplicissimus, unde non est ibi sumere aliquid confuse, et aliquid distincte, quia est omnino indivisibile, nec habet partes quas involvat confuse, vel resolvat distincte. Respondetur quod illa ratio entis dicitur simplicissima *ut quod* quia in se non est aliquid compositum ex aliquo gradu superiori, et inferiori, sicut alia prædicata generica, vel specifica: est tamen confusissimum *ut quo*, quia est prædicatum adeo commune ut in illo, et ratione illius, omnia alia confundantur, seu minus discernantur.

Quod si inquiras an sicut cognoscitur ens tanquam primum cognitum ab intellectu, ita necessario debeat intellectus procedendo de potentia ad actum, prius attingere prædicata universaliora, quæ sequuntur post ens eo quod quod confusiora sunt, quam prædicata minus communia, respondetur (quod et advertit Cajetanus quæstione illa prima de ente, et essentia, conclus. II,) non esse ordinem essentialem enter ens, quod est primo cognitum et reliqua prædicata inferiora in cognoscendo quantum ad applicationem, et exercitium cognoscendi, licet ex parte rei cognitæ major proportio sit in prædicatis communioribus ad intellectum imperfecte cognoscentem. Ratio est, quia in prima omnium cognitione, neque intellectus se potest applicare, neque volun-

tas intellectum, cum non præcesserit alia cognitio, virtute ejus se applicet, et ideo tantum operatur ibi proportio immediata objecti cum potentia; et cum potentia sit tunc in statu puræ potentialitatis, non proportionatur illi objectum, secundum rationem magis actualem, et distinctam, sed secundum potentialem, et confusam, et ab illa movetur tunc intellectus. Cæterum post illam primam cognitionem potest intellectus se movere, vel per voluntatem applicari ad id quod voluerit, sicut relictis intermediis generibus ad prædicatum infimæ speciei se applicare, unde contingit cognoscere aliquando prædicatum specificum ignorato genere intermedio, imperfecte tamen propter ignorantiam prædicati intermedii, quod ex parte rei cognitæ præcise magis proportionatum est potentiæ procedenti de imperfecto ad perfectum.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

Primo arguitur contra ordinem, quem posuit Philosophus, quod magis confusa, seu universaliora sunt prius cognita: nam vel Philosophus loquitur de ordine et modo cognoscendi artificioso, et scientifico, vel naturali. Hoc secundum impertinens est, quia Philosophus non intendit hic docere modum quo procedit natura in cognoscendo, cum solum intendat ostendere, quomodo in Physica procedendum sit, quæ solum scientifico modo procedit, alioquin si solum de naturali ordine procedendi loqueretur, non solum deberet loqui de cognitione intellectiva, sed etiam de sensitiva; quia hæc etiam procedit de imperfecto ad perfectum, et tamen, ut diximus, in præsentia non loquitur Philosophus de cognitione sensitiva, sed solum de intellectiva. Si primum,

falsum est scientificum processum esse a confusioribus et confusiora esse notiora; in processu enim scientifico notiora sunt principia, per quæ alia demonstrantur et processus scientificus non est cognitio confusa, sed distincta: ergo non bene dicitur, quod confusiora sunt notiora nobis scientificæ.

Respondetur Philosophum in præsentia agere de processu naturali, quia naturalis cognitio in nobis procedit de imperfecto ad perfectum, et ejus probationes, et exempla id manifestant: ex hoc autem manducit Philosophus ad ostendendum quod etiam in scientifico processu oportet procedere ab universalioribus, et confusioribus, non quidem comparando principia ad conclusiones; sic enim proceditur cognitione distincta, sed comparando unam materiam tractandam in scientia cum alia materia; sic enim ut ordinate procedatur, illud objectum, seu materia prius tractanda est, quæ est universalior, et confusior, utpote nobis facilius, et inter ipsa principia semper universaliora, prius attingenda sunt. Et ita dicit D. Thomas 1^o Physic. lect. 1: « Quod Philosophus ostendit inter principia oportere prædeterminare de universalioribus. » Et subdit: « Quod quia iste est naturalis modus, sive ordo addiscendi, ut veniatur a nobis notis, ad ignota nobis, inde est quod oportet nos devenire a notioribus nobis ad notiora naturæ. » Sic ergo in modo procedendi a principiis ad conclusiones proceditur cognitione distincta, a partibus ad totum; inter ipsa autem principia, et materias pertractandas proceditur ab eo quod est confusius et universalius, et facilius.

Ad id autem, quod additur de cognitione sensus, respondetur quod in illo loco notanter dicit S. Thomas, quod prius secundum sensum

dijudicamus, id est discernimus magis commune, cujus exemplum ponit, tum in his, quæ videntur a remotis, tum in infantibus, quia a principio non discernunt, sed omnes viros vocant patres. Hoc autem iudicium, non pertinet ad sensum exteriorem, qui tantum simplici apprehensione sentit, sed pertinet ad interiorem æstimatoriam, et sensum communem, licet hoc originetur ex sensu exteriori, qui aliquando accipit species rei perfectas, aliquando imperfectas, et sic sensus externus quantum ad simplicem apprehensionem non semper procedit de potentia ad actum, sed quando videt aliquid in distantia proportionata determinate et distincte apprehendit, quia sic representatur sensui, v. g., quando album sibi proponitur prope oculos, statim a principio album videt sine confusione. Cæterum discretio ipsa seu iudicium inter unum et aliud procedit a confusiori et communiori ad minus commune; paulatim enim in pueris tollitur confusio, quia prius non discerniebant unum particulare ab alio.

Secundo arguitur: Potentia naturalis non impedita, et objecto debite applicato, producit cognitionem perfectissimam quam potest, sed intellectus est potentia non impedita (neque hic loquimur in casu impedimenti, sed de intellectu secundo se) et est agens naturale, et objectum mediantibus sensibus debite applicatum; ut cum species representat quidditatem materiale determinatam: ergo producet cognitionem perfectiorem, quam potest circa tale objectum. Confirmatur, quia cognitio intuitiva semper præcedit abstractivam, non solum quia sensus præcedit intellectum, sed etiam in ipso intellectu, eo quod necesse est prius moveri intellectum ab aliquo objecto præsentem, quam ab absenti, cum absens cognos-

catur ad instar alicujus præsentis; intuitivum autem non est magis confusum, sed magis clarum quam abstractivum, cum sit ipsa clara visio: ergo confusiora non sunt nobis notiora.

Respondetur, quod causa non impedita producit effectum perfectissimum, quem potest pro illo statu in quo reperiatur, et juxta capacitatem suam. Cum autem in prima cognitione, intellectus connaturali modo procedens, habeat lumen debilissimum, cum procedat a pura potentia intelligibili, consequenter perfectissimus effectus, quem tunc potest, est confusissima cognitio. Et non dicimus intellectum tunc esse potentiam impeditam impedimento extrinseco, seu contrariæ dispositionis, sed esse intrinsece inhabilem ob statum puræ potentialitatis, ne procedat ad perfectiorem cognitionem. Unde intellectus non habens illum statum puræ potentialitatis, sed lumen perfectum, ut Angeli, statim etiam perfecte cognosceret. Nec obstat, quod aliquando natura producit in ipsa generatione perfectiorem effectum a principio, sicut in generatione animalis prius generatur cor, quod est nobilius reliquis membris. Respondetur enim, quod ipsum cor prius est informis quædam substantia, et sub imperfectis dispositionibus, et ita in ipso proceditur de imperfecto ad perfectum, formatur tamen prius, quam alia membra propter necessitatem, quia est principium vite, et motus in reliquis membris, sicut fundamentum in domo prius inchoatur, quam reliquæ partes. Et tamen ratione totius structuræ imperfectiorem statum habet animal, quando solum est formatum cor, et domus quando solum est jactum fundamentum, quam cum reliquæ partes construantur.

Ad confirmationem respondetur,

verum esse, quod aliqua intuitiva cognitio debet præcedere, tam in sensu, quam in intellectu, sed tamen debet esse imperfectissima in discernendo unum ab alio, nam in ipsa intuitiva cognitione etiam dantur gradus, et quædam esse imperfectior alia; ut patet cum videmus e longe aliud, quod nullo modo discernimus in particulari quid sit, ubi solum datur intuitiva cognitio quoad an est. Sic intellectus in sua prima cognitione, id quod ipsi proponitur videt quasi a longe in genere intelligibili, licet præsens sit objectum, et sic illa notitia intuitiva solum de objecto attingit ipsum esse, seu quoad an est, quod est esse intuitivam imperfecte, et cum omnimoda confusione respectu quidditatis.

Tertio arguitur: Totum actuale secundum cognitionem confusam prius est cognoscibile quam partes, siquidem cognitio per partes est cognitio distincta, non confusa: ergo illud quod est magis totum actuale, est prius cognoscibile, sed species infima est magis totum actuale, quam ens in communi, vel alia prædicata universaliora, siquidem species infima habet ens, et alia prædicata universaliora, tanquam partes, quibus actu componitur: ergo est magis totum actuale respectu illorum, quam quodlibet prædicatum universale, et habet se ad illa sicut definitum ad sua definitia, genera enim, et prædicata superiora intrans definitionem speciei ut partes ipsum autem ens, et prædicata superiora sunt quidem totum, sed potentiale respectu eorum, quæ sub se continent, sunt autem confusiora respectu eorum, ex quibus actu constant, et sic sunt minus totum actuale: totum autem actuale est prius cognitum suis partibus, et definitum suis definitibus, ut dicit Philosophus 1^o Physic. c. 1, in quo etiam videtur claudicasse ejus pro-

cessus dum dicit, quod totum est magis notum sensui, universale autem est quoddam totum continens sub se plures partes, ubi manifeste æquivocat de toto actuali in majori, et de toto potenciali in minori, universale enim est quoddam totum potenziale.

Confirmatur, quia quando cognoscitur ens in prima cognitione, vel cognoscitur ut contractum et concretum cum aliis prædicatis inferioribus, vel ut abstractum, et separatum ab illis; si primo modo, non cognoscitur ens sub conceptu confuso, sed magis sub contracto, quod non est cognoscere ens sub conceptu entis, sed sub conceptu alterius prædicati. Si secundum, non potest primo cognosci ens, quia abstractio illa est omnium suprema, et difficilima, abstractio autem speciei infima est faciliior, quia abstrahit a similibus, scilicet ab individuis unius speciei, et magis accedit ad sensibilem cognitionem, quæ versatur circa ipsa individua. Unde et illa scientia, quæ agit de ente, in abstracto et in communi, est omnium postrema, scilicet Metaphysica.

Respondetur quod species infima est quoddam totum actuale per modum rei, et per modum cuiusdam compositi, et sic est magis cognoscibilis cognitione confusa actuali, tanquam cognitum *ut quod*, et ut quidditas ipsa materialis, quæ occurrit intellectui. Cæterum in ista specie, et quidditate sic occurrente intellectui in prima sui potentialitate, ratio formalis *quæ*, seu obiectum prius cognitum *ut quo*, et ut ratio confundit totum illud constitutum, quod est species, est ipsa ratio entis, seu prædicati universalioris, quatenus in illo secundum se minus discernuntur, seu magis confunduntur reliqua prædicata, ideo enim totum actuale confuse concipitur,

quia solum sub ea ratione cognoscitur, in qua omnes illæ partes minus discernuntur, et minus ea quæ sunt propria totius attinguntur: constat enim quod quantum totum actuale cognoscitur confuse, sub aliqua ratione formali confunditur, et illa debet esse, in qua propriæ rationes illius totius non discernantur, sed cum his, quæ ipsi et aliis communia sunt, confundantur, hæc autem est ratio, seu prædicatum commune secundum se.

Quod vero dicitur, prædicata communia esse partes componentes, et definientes ipsam speciem infimam, dicimus, quod illa prædicata secundum diversos respectus pertinent ad cognitionem confusam vel distinctam, actualem vel potentialem: si enim considerentur ut partes hujus quidditatis, quam componunt, et ut contractæ ad illud, processus cognitionis ab ipsis ad totum, est processus cognitionis distinctæ, si vero considerentur secundum se præcise, non sub relatione et comparatione ad inferiora, sed absolute secundum se sic, sunt ratio confundendi cognitionem totius. Unde dicit S. Thomas I p. q. cxlv. art. iii ad 3: «Quod pars potest cognosci, vel absolute, et sic prius cognoscitur quam totum, vel secundum quod est pars hujus, et sic prius cognoscitur totum, et sic etiam definitio absolute considerata sunt priora definito, quia notificant illud, sed ut partes definitionis, sunt posterius nota.» Sic ergo partes non semper sunt ratio cognitionis distinctæ actualis, nisi in quantum sunt propriæ hujus, non si solum consideretur absolute, et secundum se: sic enim potius sunt ratio confundendi, quia solum in eis attingitur id, quod est commune, non quod proprium hujus. Si vero ista prædicata communia comparative ad inferiora attingantur, sic fundant cognitionem

totius potentialis, nec pertinent ad primum cognitum.

Quod vero additur de processu Philosophi a toto actuali ad totum potenziale, respondetur ex D. Thoma I Phys. lect. i, quod Philosophus subsumit de universali, quod est quoddam totum, non quatenus exercet rationem totius potentialis seu secundum habitudinem superioris ad inferiora, sed quatenus est ratio quædam confusa, et concipitur secundum se, in qua non discernuntur, sed confunduntur reliqua prædicata et differentie propriæ, et quatenus utrumque totum, actuale, et potenziale conveniunt in ratione confusi, sic procedit de uno ad aliud, nam ratio totius potentialis sumpta secundum se, et ut pars communis, et non propria hujus totius, est ratio formalis confundendi cognitionem ejus, ut dictum est.

Ad confirmationem respondetur quod cum dicitur ens esse primo cognitum, et prædicata universaliora essentiora, non sumitur ens, ut subest abstractioni positivæ, sive formali, sive totali sicut de illo tractat Metaphysica, sed ut concipitur secundum se, et sub abstractione negativa, qualis etiam potest contingere in sensu qui accipit unum omisso alio, v. g., colorem in pomo omisso sapore, et in ipso colore possumus videre a longe rationem colorati singularis, non discernendo propriam differentiam talis coloris: sic in prima cognitione intellectus accipit ens, ut concretum quidditati sensibili, non quia abstractionem positivam ejus formet, nec quia propriam, et determinatam rationem prædicata inferioris accipiat, sed quia in ipsa quidditate sensibili solum accipit rationem confusionem, vel communionem secundum se, quæ est magis imperfecta, et potentialis, et hæc est faciliior abstractionis negativæ, licet positiva ejus abstrac-

tio quæ est cum habitudine superioris ad inferiora sit faciliior, et in specie infima faciliior.

Ultimo arguitur ad probandum, quod singulare prius ab intellectu attingitur quam universale: Nam intellectus movetur a phantasmate, sicut visus a colore, ut sæpe asserit Aristoteles, et experientia ipsa testatur, quia cum primum aliquid singulare offertur sensui, illud ipsum movet intuitive intellectum, de ratione autem intuitivæ cognitionis est, quod sit circa rem præsentem et existentem, ergo circa singulare, cum ergo a phantasmate moveatur intellectus, ab ipso etiam determinatur ad cognoscendum hoc singulare quod in phantasmate representatur, alioquin non moveret intellectum; si non moveret ad id quod representat, quod totum est singulare.

Confirmatur, quia intellectus sensibilis abstrahit universale a singularibus, faciendo comparisonem, et collationem singularium in eo, in quo conveniunt, et in quo differunt: ergo necesse est quod prius cognoscat ipsa singularia; alioquin nunquam abstraheret universalia, si non cognosceret a quibus abstrahit.

Confirmatur secundo: Nam intellectus potest formare conceptum directe representantem singularem: ergo et speciem impressam habere potest, representantem illud directe, atque adeo potest intellectus immediate cognoscere illud. Consequentia constat, quia tota ratio, quare non potest primo, et per se representari singulare, sensibile est, quia non est primo et per se intelligibile, quousque denudetur a conditionibus singularibus, sed species expressa, seu conceptus est magis in actu intelligibilis, quam species impressa: ergo si potest representare directe singulare, a fortiori spe-

cies impressa id poterit, et consequenter intellectus directe, et immediate informabitur ad representationem talis singularis. Antecedens autem constat, quia intellectus format immediate propositionem singularem, ut *Petrus est albus*, et intuitive attingit objectum propositum, quod non potest esse nisi in singulari attingat, in quantum existens est, ac denique practice dirigit operationes voluntatis, quæ circa individuum sæpe versantur, sicut quando electio aliquid in singulare eligit præ alio. Neque dici potest, quod cognoscatur per reflexionem supra ipsum phantasma, quia hæc reflexio indiget comparatione objecti intellecti, ad ipsum phantasma, et tunc vel tale phantasma singulare est sibi ignotum vel notum; si ignotum, non faciet comparationem, si notum, ergo per aliquam notitiam, quæ directe representet ipsum, et sic habetur intentum; præterquam, quod istæ reflexiones vix fieri possunt ab hominibus valde exercitatis, et doctis; singulare autem a quocumque intelligitur.

Respondetur ad principale argumentum, quod ut plenius dicetur in libris de anima, phantasma dicitur movere intellectum, quatenus proponit objecta, a quibus intellectus agens accipit, format et speciem spiritualem representantem objectum, non eo modo quo in phantasmate continetur, sed eo modo quo intellectus exigit juxta rationem sui objecti formalis, formale autem objectum intellectus in eo, in quo distinguitur a sensu, est ipsa quidditas rei secundum se, non autem secundum accidentia exterioris apparentia, intellectus enim dicitur quasi intus legens, eo quod penetrat ad interiora rei, id est ad quidditatem, quod non facit sensus. Quare phantasma dicitur movere intellectum ad quidditatem sui objecti repræ-

sentati, modo quo intellectus exigit non eo modo phantasma continet, sicut etiam colores movent visum ad cognoscendum præcise ipsum colorem, non autem conjunctionem ejus ad sorem, vel calorem, quam tamen habet in re. Quod vero dicitur intellectus intuitive videre objectum, dicimus quod id habet dependenter a sensu, et in quantum continuatur cum illo; clausis autem sensibus quantumcumque res sint præsentis, intellectus non potest intuitive cognoscere, quia non possunt illæ species de tali præsentia certificare, nisi mediantibus sensibus: si tamen Deus infunderet ali-quod lumen superius, et species exemplatas a Deo, sicut infunduntur Angelis, posset illis intuitive videre independentem a sensu, sed in præsentia non loquimur nisi de speciebus per sensum acquisitis, et ab illo dependentibus.

Ad primam confirmationem respondetur universale Metaphysicum posse fieri ante comparationem, et collationem cum singularibus, sed per abstractionem negativam, sic enim intellectus agens dicitur abstrahere speciem a phantasmate, quatenus representat naturam, et omittit individua, id est rem per modum quidditatis, et non per modum conditionum singularizantium, eo quod ratio ipsa quidditatis a singularibus conditionibus non dependet. Quando vero intellectus comparat hanc naturam universalem ad singularia, sive ad conditiones individuales, cognoscit quidem ipsa singularia, sed indirecte, et ut sunt aliquid connotatum, vel præsuppositum in phantasmate ad ipsam quidditatem.

Ad secundam confirmationem respondetur quod intellectus non cognoscit singulare eo modo quo universale, licet utrumque cognoscat, et sic negamus dari concep-

tum, seu cognitionem directe representantem singulare, sicut negat semper D. Thomas, aliud est enim quod possit dari conceptus proprius rei singularis, aliud quod directus proprius quidem dari potest ex parte rei cognitæ, discernendo hoc individuum ab illo, et qui distincte cognoscit, proprie cognoscit, non autem directus, quia formalis ratio cognoscendi intellectus, in quo a sensu distinguitur, non est ipsa singularitas, sed ipsa quidditas, cujus singularitas est modus; sed tamen, quia intellectus non attingit ipsam quidditatem, nisi dependenter a phantasmatibus convertendo, et coordinando se illis, ut dicitur tertio de anima, text. II, ideo attingit singularia, ut sunt quædam connotationes quidditatis abstractæ a phantasmatibus, ad quæ dicit ordinem, et ita sensus et intellectus contrario modo procedunt; quia sensus primo, et per se respicit accidentia, a quibus pendet individuatione quidditatis; intellectus autem primo, et per se respicit quidditatem, quæ talibus accidentibus, et individuatione connotatur, et designatur, et ideo potest proprie distincte attingere illa, non tamen immediate, et directe: intelligitur enim res materialis modo immateriali, et consequenter segregatur a modo materiali, qui maxime invenitur in conditionibus singulariter individuantibus, et ideo objectum quod fit immateriale a nobis per segregacionem a modo materialitatis, implicat quod directe representet sub modo singularitatis, quæ est maxime materialis. Secus est de speciebus infusis a Deo, quæ representant sua objecta immaterialiter, quatenus descendunt a Deo, a quo et quidditas, et singularitas derivatur, et consequenter representatur, ut sic dicitur.

Quare ad argumentum negatur antecedens. Ad probationem dicitur, quod intellectus format propositionem rei singularis, et singularitatem cognoscit, practiceque proponit voluntati, formando quidem proprium, et distinctum conceptum illius, sed indirectum quatenus connotatur singularitas in ipsa quidditate, ut extracta est a phantasmatibus; et sic non cognoscit singularia confuse, ut continentur solum sub natura communi, sed ut representantur distincte in phantasmatibus, non quod intellectus concipiat per phantasma formaliter, sed quæ sunt propria phantasmatum, investigat intellectus per conceptum quidditatis, ut habentis ordinem et dependentiam a phantasmate, ut a termino a quo est extracta; et hæc est cognitio reflexa seu indirecta, quæ cognoscitur singulare: quia scilicet cognoscitur quidditas attendendo etiam ad connotationem, et ordinem, quem habet ad phantasmata a quibus extracta est, et propterea dicitur reflecti super illa; ab illis enim incipit cognitio, et hac ratione explicat hanc reflexionem S. Thomas I p. q. LXXXVI, art. I, et Opusc. II, et aliis locis: neque hoc requirit majus exercitium, vel comparationem, quam ipsa conversio ad phantasmata, quæ cuilibet homini convenit, licet exercitiores comparationem ipsam, et reflexionem in actu signato possint advertere. Et sic etiam practica cognitio, ut in singulari moveat et rem sensibilem, vel modo sensibili indutam, indiget formare aliquam sensitivam cognitionem, mediante qua moveatur in singulari appetitus ad exequendum, ut loco citato primæ partis ad secundum dicit D. Thomas, et tertio de anima, ex Philosopho, lect. XII. Voluntas autem ex cognitione singularis indirecta movetur,